DE ASTHENICIS CONDITIONIBUS DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM AD…

Andreas Menicoff



DE
ASTHENICIS CONDITIONIBUS
DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD OPTATISSIMAM MEDICINAE LAUREAM OBTINENDAM

SCRIPSIT

ANDREAS MENICOFF

VENETUS



PATAVII

EX TYPOGRAPHIA CRESCINI

1845





Asthenica conditio sibi vult statum vis deficientis in textubus organicis permanenter adparentem, ab alteratione in parte solida vel fluida ipsorum textuum dependentem, unde functiones et materies non ad gradum eum extolli possint, qui cum sanitate et vita organismi speciei convenit.

Statum hunc pathologicum esse denominandum clare patet, quum in pathologiae sphaera omnes conditiones vitae et sanitati adversantes occludi mereantur; quum nisi damna organismo unicuique inferat, quum potentiis, quae vel gradu, vel qualitate sub remediorum denominatione recensetur, idest, ut melius dicam, deprimentibus omnino et natura et effectu oppositis, indigeat.

Inter ea quae magis repugnant absurdum foret hujusce permanentis conditionis possibilitatem organismis denegare; nam et causae innumerae vires destruentes existunt, et ipsae organismos afficiunt diutiusque afficere possunt, nec non lenta est magis materierum et virium reproductio quam jactura per ipsas causas effecta. Dantur insuper sub physiologiae quoque imperio circumstantiae asthenicam indicantes, quibus ex-

asperatis, morbi quidem gravissimi et mors succedunt.— Unde adhuc sub judice lis diei potest an circumstantiae illae Physiologiae vel Pathologiae ditioni sint subjiciendae: neque oppugnandum morbis phlogisticis, causa verae aegri debilitatis, cura antiphlogistica valde, prae morbis iisdem restricte, immo aliquando enim roboranti et nutrienti commixta apponi queat; et dari casus ubi potius debilitati quam alii cuicunque morbosae conditioni occurrere opus sit; vel, morbo ipso phlogistico in fugam posito, astheniae causa individui vitam in maximum discrimen versari.

Quibus assertis, invenimus conditiones asthenicas per se, cum alio morbo, et ut alius morbi effectus. Re quidem vera, sub perfecta quoque sanitate (prae supra dictis) causa ipsa partem suam excitat, aliam deprimit, vel dato gradu vitam extollit, grado alio abjicit; cujus facti iu eo demonstrationem obtinemus quod nulla essua simplex est et nulla organismi, quamvis perexigua, pars simplicitate praedita — dein vita in singulis textubus, systematibus, organis, parte, etc. imo in singulo eorum complexu varia habetur — determinata etiam est, unde quo magis vires hac intendantur, illic deficiant — omne quod nimis opprimit — nimia virium intensitas in oppositam rationem incidit — inter organa et systemata adest actionum et functionum, consequenter virium et materierum, oppositio pecularis, praeter generalem relationem. Praeterea morbo aliquo nunquam integer organismus afficitur, nam hoc non cum vitae legibus, *nisi tempore brevissimo* concederetur; sola enim physiologica reactio certat in morbum et vincit et reactio nisi eum statu sano convenit; reactio vero semper organismi ipsius energiae relativa habetur,

semper aliunde inter limen praefixum restringitur. Sub morbo tandem consumuntur organicae materies et vires tum partis adfectae, cum ipsarum jam sanitate gaudentium, atque hisce in circumstantiis difficilius reparatur quod virium et materierum ab organico corpore deperditur.

Non propterea mirandum si in uno eodemque individuo, imo, si mihi liceat, in uno eodemque organo, in systemate, atque ipso testu adsit morbo asthenica conditio juncta, si antiphlogistica remedia roborantibus, stimulantibus et nutrientibus sociata in usum traheoda possent; si aliquando solis roborantibus, stimulantibus et nutrientibus phlogisticus morbus fugatur.

Neque minus singulares, ac summa Medici attentione dignos, invenimus effectus morbosos ab asthenicis conditionibus productos — inter quos, praeter stases, congestiones, tumores, aneurismata et quamplurima alia facillime concipienda, symptomata irritationis et inflammationis quoque percautam observationem sibi vindicant.

Sub asthenica conditione revera textus, debita elasticitate orbati, relaxantur, attenuantur, humores quantitatem et qualitatem normae inferiorem necessario assumunt; ex quo fit ut vasa distendantur tum per eorum decursum cum ad hostia; fluida idem stagnent per foramina pathologice fluant; ex quo errores spatii, loci, temporis insurgunt; pars fluidior solummodo ab absorbentibus, jam sua energia destitutis, transfaratur, et similia: formae exinde plures supra recensitae in scenam prodeant — tuberculorum quoque ultima hac ratione explicatio sat vera in temperamentis lymphaticis sua sponte fluat. Sed ultarius est res consideranda: humo-

rea stagnantes et ipsi inquilini, sua qualitate mutata, atque decomposita, qua corpora etherogenea agere debent, aequilibrium inter organa et systemata, inter ipsos humores, nec non inter fluida nondum ponderi subjecta in — et externa est ablatum — omnes partes organicae, systema nervosum praecipue, ad reactionem impellantur, cujus, prae alia quacumque, manifestatio in irritatione ponc dubium adparet; et si eodem tempore, praecipiti quasi dicam modo, in humoris localis elaboratione extollenda influat, nil mirum quod in debili ipsa parte inflammatio scenam ludat, minus vero mirandum si alia in parte majori vita donata sese extendat.

In hoc vero insisto, nempe quod quam in hujuscemodi inflammationes medicus incidat, non ab absoluta phlogosi indicationes eruat.

Quibus in casibus, nec non cum asthenica conditio ab individuali constitutione pendet, inflammatio extra dubium modificata adparebit. Modificatio quoad systema ab asthenica conditione radicitus adfectum observanda evenit, ita ut nunc dolor vix oriatur, nunc calor sit exiguus, nunc tumor praepolleat, nunc ad gangraenam sive ad exulcerationem transitus facilius contingat, semper vero functionis alteratio et chronicitas vel lentitudo scenam ludant, universa quoque reactio et partium in continuitatem, vel contiguitatem existentium peculiaris compassio subsequatur. Hicque mihi exponere detur, dum in inflammationi succurrimus, persaepe cum vitalitatis et vitae aegri detrimento hoc effici — et vix periculum majus vitae a phlogosi productum antiphlogisticam earum excessari posse; unde nisi vitalis cura liceat. Et facile concipitur quomodo irritatio, quae nanisi organici et animalis motus abnarme augmentum sibi vult.

vel erethismus, proprietes idest nimis sentiendi causarum influxum, ab absoluta inflammatione distingui mereantur; quomodo spuria, seu asthenica antiquorum phlogosis admittenda; ad quam pathologicam conditionem lenta phlogosis adnectenda; quod crimen patret qui phlogosim solummodo in morbis videat et curet; quomodo criminose antiphlogistica ea remedia vocentur, quae quum ad normam directe functiones, seu fluida et textus organicos ab asthenica conditione detentos, redigant, indirecte vero et irritationes et inflammationes destruant, quum vel fluida ad elatiorem gradum naturae organismi convenientem, vel textus ad debitam energiam ut congruam reactionem sustineant, attollant; criminose, repetam, haec remedia antiphlogistica celeberrima nominentur (et eo magis quod antiphlogistici eum asthenici nomine confunditur) et ut de nova detectione propriam laudem ad sidera audeatur afferre. Proh! dolor, dum aegrorum status in pejus vergit, morbi intensitas et necessarias decursus accensantur, quasi si antiphlogistica nova et celeberrima non intensitatem mitigare et decursum deflectere valeat: dum aegri moriuntur, phlogoseos signa, quae nonnisi a remedio repetenda sunt, a morbi solius gravitate haberi sustinentur, et eventus tantum concedit! . . . imo illae necroscopicae mutationes, quae a conditione phlogosi omnino opposita vel differenti enstae sunt, phlogoses dijudicantur. Sed quo praetereo? . . . . Hoc tantum mihi liceat rogare: dum solummodo in morbis phlogosis habeatur et ideo omnes causae phlogisticae sunt, quomodo omnia remedia sunt antiphlogistica? Ex orbe terrarum forsan a nostro omnino diverso enascuntur? Et si asthenicae conditiones non conceduntur, vel tantum transitoriae et vix observandae, quomodo tam praeclarae et

constantes illae horum remediorum esse debent? Tandem si asthenico et instantaneo statui cito phlogosi succedat, ex his antiphlogisticis potentissimis sane potentissima phlogosis originem vitare nequit.

Sed ut ad aliquam conclusionem deveniamus, ne auctorum expressionibus volumen adimpleam ipsius genii Rasoriani, tam inflammationis amici et defensorum principis, confessionem et poenitudinem propriae negligentiae in aegris observandis, diligentiusque perpendendis palam faciam. Ipse faetis coactus fuit asserere quod dari potest asthenicus status sub inflammationis specie et tunc methodo excitanti, roboranti, nutrienti opus esse. Ingenium sapiens, quod non propriam falsum decus humanitatis sacrificio sustinere ausum est! Nos felices, si non a tristi nostra, ut illud, experientia edoceri simimus! Maledieti, si, ut illud asserit, sophismatibus potius quam animi submissioue veritatem inquiramus!

Ut medicus vero convenienter ad asthenicas conditiones statuendas dirigatur, cognoscere debet astheniae characteristica et consecutiva seu accessoria phaenomena, locum, organon, textum, systema, horumque omnium imo componentia ab asthenia detenta, tandem causas illam producentes et in quo principio suam radicem figat.

Dividimus ergo astheniam in generalem sive universalem et localem sive peculiarem. Phaenomena universalis ab integro organismo, vel organo vitae necessario, vel systemate affecto, vel ab alteratione humoris universi vel praecipui pendere censemus. Difficillime sub vita astheniae conditio in universo organismo habetur, syncope tamen, asphyxia et apoplexia nervosa, in quibus vi recte deficienti fere nulli corporis parti reactionem ciesre datum

est, sunt ad scopum recensendae. Alia generalis asthenia in nervoso vasculari, lymphatico-glandulari, parenchymatoso-celluloso, membranaceo systemate, in sanguine ipso, aliquovo organo vitae necessario est repetenda; sub qua alii organismi textus, systemata, organa reagere possunt, labefactatio vero totius organismi secutior est effectus, omnibus organismi componentibus simul invicem junctis ac dependentibus atque vitam unam componentibus.

Phaenomena hinc generalis astheniae habentur: constitutio laxa, retonta evolutio, adspectus cachecticus, nutritio vel exilis, vel inferioris notae, virium prostratio, facilis corporis delassatio, functiones torpidae, humores deficientes, diluti, facilis horum egestio, mentis facultates abnormes a cretinismo ad evolutionem mirandam, pulsus debiles, vacui, parvi, etc.

Inter consecutiva et accidentalia; erethismus nervosus, vascularis, muscularis, irritationes, congestiones, inflammationes, stases, effusiones, profluvia, anenrismata, etc.

Localis astheniae symptomata non modo in peculiari organismi parte, sed etiam in singulo systemate et textu illam partem componenti sunt inquirenda. Quapropter minime sufficiet, ex. gr. astheniam in membrana mucosa existere, attamen determinare si in textu ipso celluloso, vel in folliculis mucosis; et illam in folliculis, an in vasis absorbentibus, an in mucum elaborantibus; et si in vasis, an a vasis ipsis, an ab humore elaborando, tandem an idiopathico, an sympathice ortum assumat. (Opus non irridendum, cum a simplici punctura perexilis quoque nervosi ramuli tetanum et mors accidere videatur).

Quorum symptomata peculiaria, a generalibus semper directa, juxta organi, textus, systematis naturam et compositionem, nec non plures alias diagnoseos conditiones modificata, non difficulter eruenda existimamus; quorum nostrae esset mentis systematicam, nempe per classes, ordines, genera, species, individua, Elenchum coordinare, nisi brevitas nobis necessaria et debiti temporis, nec non mentis virium deficientia ad observationes rite instituendas nimis arduum obstaculum opponerent.

Ex iis vero quae diximus clare innotescit quomodo directa asthenia sit existimanda: sub cujus nomine debilitas actionis, sed promptior ac esse deberet intelligitur; quod demonstrat in elemento irritabili partis adfectae facultatem actionis adhuc vigere, in materiali autem deficere; quo evenit ut actio unius elementi ab alio sustineri nequeat et cito decidat — hocque, sicut in dilicatulis individuis accidit ita obvio modo intelligitur; in his nempe materies organica parcam sustinet elaborationem; exaltatio autem facilis nervosi et irritabilis systematis ab aequilibrio ablata inter haec et materiale, respectu habito stimulorum et reactionis, ut supra adnotavimus, omnem explicationem obtinet. Ex hisce omnibus tandem haec Methodus mei argumenti inscriptionem probat

Si ad proxima textuum componentia attentionem vertamus, hoc constat quod omnia quae vivunt pathologice et consequenter asthenice affici possint. Nec, etiamsi vita, cujus essentia in motu et principiorum continua mutatione consistit, ipsum per motum sub oculis non cadat, negare tamen possumus continuas mutationes in quacumque organismi fibra observari. Qua de re conditio

asthenica tum in solidis cum in fluidis adparebit. Fluida autem ob inopiam componentium essentialium, vel ob illorum gradum retentum astheniae affici possunt. Et sicut praecipuus character vitalis energiae io fibrina constare videtur, uam homines fortes diu laboribus et causis noceatibus resistentes ii sunt quorum masculi ad evolutionem et consistentiam elatam attigere, ita primitus asthenica conditio in illis fluidis quae fibrinae fontem seoludunt erit inquirenda et in deficientia hujus principii, illinsve elementorum sane patebit Sanguis ergo magis serosus cum erassamento friabili, soluto, carbogenio praepollenti e vena extrahetur; si placentam vero habebimus, mollis erit et glutinosa; ipsius praeterea sanguinis macula diluta, rosea; quae omnia nisi pro sanguinis asthenia depossat, nescirem a quibus alns indicns eam repetere. Scio equidem serum praepollens ab irritatione, vel uti aliqui volant inflammatione internae tonieae vasorum repeti posse, unde ut exitum potius phlogoseos retineant; scio praecisis cognitionibus quoad sanguinis signa nos deficere; scio sanguinem modo venosum nobis videre conceedi; neque ignotum mihi evadit, quum ab elatissima inflammatione organon vitae principale detineatur, in eo totam vitam coerceri et posse asthenicum sanguinem haberi; hocque sub organicis cordis praesertim affectionibus contingere; sed in pluribus horum casuum asthenia sanguinis confirmatur, vel possibilitas etiam hypersteniae denegatur; si in aliis conditio pathologica non a sanguine, sed a solidis est repeteada, in omnibus meoti non praeconceptae quam multa alia phaenomena diagnosim definiont. Quod si modo in solidis morbi sunt admittendi, ego quaerere possum ubi materialia ad sese efformandum

dam solida repetant? Ut haec sola et vivere et morbosa fieri possent, causam primam propriae vitae nonnisi in se habere equidem deberent. Duo argumenta a solidistis qua invicta admissa, in eorum damnum revertuntur, nempe copiosae sanguinis evacuationes et axioma quod nullum remedium nisi per circulationem transgressum suos effectus praestat. Tandem quomodo res se habet dum ego spontaneum exanthema, vel tumorem ope therapiae hic fugo, alio in loco exire video? quomodo si destructo etiam solido conditio pathologica perstat? Pudeat ergo medicum humanitatis amicum auxiliis ad diagnosim justam deficere confiteri.

Quod si ad solida attentionem convertamus, in eo peccant qui a fluidis efficiuntur pro materiali parte, et ab influxu nervosi systematis pro parte motrici tum organica cum animali reguntur. An vero in una parte vel alia uniuscujuscumque fibrillae asthenica conditio residcat, difficillima a posteriori determinatio evadit; a priori vero quaestio non viget, nam molecularis fibrilla vix solida et vix fluida perstat et adparet et ab uno ad alium statum inconcepibili et percelerrimo modo mutatur; organicus motus in ambobus statibus viget; a posteriori autem praepollenter in fibrillarum sat conspicuo numero, ita ut de solida forma sensus judicare possint, praepollenter, dico, in uno alterove elemento sese palam faciet, sed a peculiaribus circumstantiis hoc tantum pendebit. Organismi revera quare non aequales sunt? quare in organismo ipso evolutio solidorum prae fluidis, vel solidi unius prae aliis observanda occurrit? Quare textus ipse in nutritione, vel functionibus, vel sensibilitate, aliisve suis ipsius characteribus praepollet? Et ego vidi constitutiones delicatulas te-

nellas vasa facile scindendis, sanguinem valde elaboratam progignere: et ego vidi habitus pingues, valde in latum evolutos, turpidos judicatos, exquisita sensibilitate affici.

Concludamus ergo in fluidis modo, modo in forma solida (cujus pars praecipua sunt nervi), quae nisi apparens est, radicem sicuti omnium pathologicarum conditionum, ita et asthenicae quaerere; et concludamus non tam generaliter, neque adparenter hominem examinare ut illius naturam et pathologicas conditiones eruamus; et dum cogitiones nobis deficiant, nostram inscientiam confiteamur, et omne studium ad veritatem detegendam impendamus.

Causarum detectio, si in omnibus pathologicis conditionibus urget, in asthenicis maximi sunt momenti, eo quod status quicumque excitationis vitalis, quae sub asthenia oriri potest, facilius cum inflammatorio confunditur, vel confundi vult.

Quoad nos disponentes ab occasionalibus non distinguuntur, nam aliquae occasionales tantum existimatae, pro individuo aliquo disponentes tantum fiunt et viceversa — haec distinctio nisi respectu habito ad gradum, individuum, tempus effici meretur.

Causae ergo asthenicarum conditionum generatim sunt: temperamentum phlegmaticum et senile, habitus corporis exilis, laxa constitutio et delicatula, humorum protracta jactura, quicumque morbus chronicus, lentus, victus deficiens, vel inferioris vel pravae qualitatis, pathemata longe continuata, nimii labores corporis et mentis, aer humidus, mephiticus, luce, calore, electrico expers, frigus intensum, remediorum antiphlogisticus et evacuanti virtute gaudentium abusus, seria, narcotica,

spirituosa, aromatica nimia quantitate assumpta, potus aqueus copiosus, decubitus sub dia aestiva tempestate praesertim, vita iners — omnia generatim, quae materiem plasticam evacuant, vel a suo vegetationis gradu retinent, quaeque nervis energiam abripiunt.

Causae vero non absoluto modo, sed illa distinctione, quae quoad symptomata supra indicavimus, recenseri jubent.

Quod si *in quo* asthenica conditio consistat, videlicet quae illius intima sit natura inquiramus, premittere opportet, Medicinae Tecnologicae nisi quam symptomata, vel formas, vel mutationes materiales (quae ipsae symptomata interna tantummodo sunt) exprimere et detegere datum esse; nam vera seu intima morborum natura, conditiones idest pathologicae, in vita, seu vi vitali, seu vitalitate sitae sunt, quae quum per se semper eadem sit, varia summopere quoad manifestationes innotescit.

Cum vero de natura morborum intima cognitionem eruisse gloriamur, nisi quam materiales alterationes illi propriores illam aliquo modo significantes deteximus; et si ultra hunc limitem investigationes protendimus, in chaos magis magisque ab intima natura absens incidimus, ut cum remota principia componentia materiem organicam investigamus. Cujus assertus demonstratio est clara, quia haec principia illa sunt omnium macrocosmi corporum et differentiae a sola proportione pendent, in organicis corporibus revera juxta vitae leges modificata, in unaquaque praeterea classe, ordine, genere, specie, imo individuo modo relativo mutata. Factum ipsum ad argumentum confirmandum incidit, nam remedia nonnisi empirica basi adhibentur, atque circa

eorum effectus differens, imo aliquando oppositum judicium ab theoriis editur, neque unquam ab eorum naturali compositione secura cum morbis relatio obtinetur. Supradicta autem magis de asthenicis conditionibus asserenda videntur, quum sub illis vis vitalis minus sit energica, minus idcirco adpareus, minas, et mihi liceat, diebus nostris tantae philosophiae largitoribus, asthenicae conditiones investigatae, vel potius creditae videantur.

Hisce praemissis, quid circa meum argumentum referam? Primo quod mihi cognitiones atque observationes desunt ut aliquam saltem hypothesim exponere audeam; dein quod phaenomenis, formis et morbis asthenicis statutis, a necroscopiis aliquam non incertam lucem derivare possumus; tandem quod mens sit posita in observando et legibus deducendis, nam certe non cui nisi phlogosim videt, asthesiam, ei omnino inimicam, videre conceditur. Et ego scio, ut supra est demonstratum, a nervorum influxu (actionibus et functionibus) et vegetativa materie vitam pendere — sed quae est nervorum compositio? quid, quaenam illarum pars mysticam vitae, vitalis vis, energiae inde, potentiam includit? quo in principio materiei organicae elementum hoc robur nutriens perserater. Scio at ego materiam vita orbatam sub analisibus azotum, etc. praebere nervos stearinam, etc. sed an sub vitae ditione azotum illud, erat azotum? stearina erat stearina? vel si azotum et stearina, erant illud azotum et illa stearina detecta? Et ubi ego electricum, magneticum, etc. vitale colligere possum et metiri? functiones et actiones tollere et concedere, intelligere, decomponere, recomponere? denique cui vitam ablatam redonare? Tandem scio principia, et inter ea et vitalem vim relationem continuo mutari.

Quibus admissis fas sit concludere: 1.° quod, ut de asthenicis conditionibus judicium emittamus, oportet ad praecipua et essentialia, secundaria et accidentalia phaenomena attentionem referre — 2.° quod ex deficienti principio plasticitatem et functiones et actiones, nervorum nempe influxum relativum sustinente, pendeant, vel in illo contrarium effectum producente, asthenicae conditiones sistunt — 3.° quod hac ratione sub sensibus mediate vel immediate cadentes alterationes organicae materiei intime insitas praebere debent, non exclusis nervis ipsis — 4.° quod haec omnia cum causis rite perpensis exacto in nexu vigeant.

De morbis disserere asthenici non est mei. Verum facile concipitur quomodo morbi quamplurimi, sub denominatione alicujus alius naturae cogniti, in nostra sphaera recludendi sint; nec mirum si dentur morbi qui modo ad asthenicas, modo ad aliam indolem pertinere queant; nam idem effectus in quacumque naturae classe a multiplici causa pendere observantur — ita siccitas ex. gr. ex calore et ex frigore elato enascitur — et quoad nostram sapientissimam scientiam cordis dilatatio tum ex parietum debilitate cum ex adaucta sanguinis expansione originem trahit — dum glandularum abdominalium infarctus tum nimium humorum affluxum, tum debilem illorum organorum actionem accusare potest, praeter alias quamplurimas conditiones. Ita cum dilatationem tantummodo cordis vel scrophulam adesse diximus, nil praeter nomen diximus. An cura eadem (antiphlogistica!) in ambabus oppositis conditionibus vincat, forsan non dubitandum — sed cura vitalis?

Aliud non minoris dignitatis argumentum illud est

quod de remediis in asthenicas conditiones pertractat. Haec sub triplici serie, nempe nutrientium, stimulantium, roborantium recensentur, quarum unaquaeque suas peculiares indicationes invenit. Nutrientia revera materies in organicas substantias mutandas praebent — stimulantia motum organicum incitant et animali favent, ast utraque organicas vires consumunt, et ecce roborantia, quae valent eas substinere; unde et elaboratio materiei ad altiorem gradum attingit et motus constantior et convenientior uritur.

Haec nisi quam omnino generalia, ut nos decet, circa remedia hujus ordinis sunt — illorum vero Pharmacologia peculiaris, sicuti conditiones asthenicas, in genera, species, individua, illa disponere conatur.

Quod si ipsa morbis asthenicis curandis studium impendat, tum omnibus horum elementis rite cognitis et inter se pensitatis, unum totum efformat, et non raro non a solis *sthenisantibus* auxilium trahet. — Hoc vero officium proprium est Medicis scientis, summa prudentia praediti, humanitatis amici.





THESES DEFENDENDAE

1. *Anatome microscopica unus ex fontibus Medicinae perfectioni.*

2. *Inter corpora bruta et vegetabilia, inter vegetabilia et animalia, inter haec et hominem adest intuitivum et rationale distinctionis limen.*

3. *Botanice miscet utile dulci.*

4. *Systema nervosum praecipua caloris animalis origo.*

5. *Chemiae utilitates in Medicina magis sunt reales quam adparentes.*

6. *Conditio asthenica constans, per se, cum morbo etiam indolis oppositae, et ut morborum effectus in organismo existere potest.*

7. *Medicamentorum nunquam numerus sufficiens.*

8. *Adsunt morbi, ad quos, non modo explicandos, sed neque cognoscendos, nulla theoria valet.*

9. *Si nisi phlogosim in morbis vides, antiphlogistica etiam destruis.*

10. *Negare conditiones asthenicas, et inde remedia roborantia, est factum quotidie eveniens negare.*

11. *Medicus non modo philosophus, sed et poeta.*

12. *Contagia ex causis omnibus morbis etiam communibus enasci et ratio et facta demonstrant.*

13. *Causa proxima nubeculae phlogosi omnino opposita est dijudicanda.*

14. *In morbos, qui a constitutione individuali pendent, nisi haec prius evincatur et vitalis cura imperet, chirurgicum ferrum non modo inane, sed et persaepe damnosum.*

15. *Graviditatis status an physiologicus, an pathologicus sit a gravida ipsa pendet.*



